ctionem: de hoc *posteriori* ejus statu in sequenti sectione mentio fiet. Hoc vero loco de terra acturi erimus, quatenus *ante* productionem, prima omnium rerum materia, & Panspermia, in confuso, ut *Chaos*, exstitit; *quintuplici* mixtione confusa, & hoc quidem statim in ipsa prima creatione, sic volente Creatore. Quare hæ *quinque* divisiones seu terrarum genera, quæ in *Chao* sunt, nunquam vel radicitus commisceri, vel invicem *transmutari* queunt. In Chao quidem commixta fuerunt, sed non ita, ut Naturam loci seu *gravitatis* suæ non servarint; *leviora* enim in circumferentia *graviora* in centro hærebant: commixta tamen fuerunt, in quantum eorum natura cohæsionem invicem desiderabat, *natura enim naturæ gaudet*, quod etiamnum videmus. Nam sidera multum de sublunaribus, sublunaria non parum de superlunaribus, animalia de vegetabilibus, alia de aliis participant. Quæ confusio non accidentalis, sed primordialis, & essentialis est, unde proverbium oritur: *in Natura quidlibet esse quodlibet, & quod inferius est, ei simile esse, quod superius est*: hac enim confusione tota sibi Natura tanquam catena & magnetismo cohæret. Quæ vero *quinque* ista terrarum genera, quorum hactenus mentionem fecimus, fuerint, quoque explicandum venit. *Primum* genus terræ omnium nobilissimum est, & materiam *sideribus* & stellis exhibuit: *secundum* variorum *Meteororum* mater est: ex *tertio animalia* facta sunt: *quartum vegetabilium* origo fuit: *ultimum mineralium*. Corporum itaque diversitas sive *super-* sive *sublunarium*, non ab aqua vel aëre, sed a *terrarum* differentia provenit. N. 11. Nam confusio seu Chaos in terra, non in aqua vel aëre locum habuit; quomodocunque enim Elementa confundantur, rursus ad trinarium suum numerum redeunt: in quantum vero aqua & aër se a terra separari patiantur, ex infra dictis patebit. Hoc vero loco quæri posset, utrum in rerum natura *etiamnum* tale confusum primordiale *Chaos* detur, prædictarum nempe quinque terrarum massa? hæc enim Chaos vocabatur, diversarum commixtarum terrarum respectu; non quod in creatione globus terreus, licet ab aqua ambiebatur, eadem perfusus aut commixtus fuerit, ut ex sequenti capite patebit. Ad quæstionem ergo ut redeam, respondeo *negando*, nam sicut ante actualem productionem ex Chao, nullum specificum corpus *actualiter*, sed tantum *potentialiter* in eodem exstitit: ita post productionem actualem, talis quintuplex massa seu Chaos, non nisi in diversis corporibus separatim, nec amplius ita confusum, nisi quantum prima confusionis species in ipsa creatione impressa permittit, etiamnum & de facto exstat, id est *potentialiter*. Qua decisione & isti refutantur, qui *quintam rerum essentiam* etiamnum in mundo superstitem esse & virgineam, id est, sine productione prorsus simplicem vocant. Ob *quintuplicem* terræ differentiam, primum Chaos, *quintum* omnium rerum vocari posse, non inficiabor: Chaos vero, cum post sex dierum productionem, non nisi in *specificis* corporibus, & certo modo exstat: quis dubitet? hanc simplicem quintam essentiam alio quoque modo, quam in creatione erat, productis inde corporibus, inesse. Ex prædictis ergo concluditur, hanc virgineam & primam terram ante productionis actum terream prorsus ac siccam fuisse, N. 12. N. 13.